



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Petri Ioannis Perpiniani Valentini, Societatis Iesv
Presbyteri. Orationes Dvodeviginti**

Perpiña, Pedro Juan

Lvgdvni, 1622

Duodecima, de retinenda veteri religione, & falsa recentium haereticorum doctrina rejcienda, Lugduni in publico gymnasio Societatis Iesv commisso, ante sacrarum literarum explanatione[m], ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13368

422 *De auita dicendi laud: recup.*

tia diuitias, non testamentorum iure, sed propagatione sanguinis, vobis à maioribus tradita, direptas, dissipatas, laceratas ferre potestis? videte, ne quantam illis gloriam peperit incredibile nouæ laudis acquirendæ studium, tantum vobis dedecus afferat veteris recuperandæ & retinendæ negligentia. Ego quidem, Romani iuuenes, quoniam hoc mihi hodie onus imponitur, curabo quantum in me erit, ne qua in re officij mei partes desiderentur, meamque operam, quam vnâ vobis præstare possum studiosis eloquentiæ nunquam denegabo, vos incumbite, obsecro, incumbite ad studium dignum ingenio, dignum ætate, dignum splendore vestro, nobilitate patriæ, maiorum gloriâ, & efficite, vt hi patres religiosissimi, hi doctissimi eloquentissimiq; viri, qui nos audiêtes præsentia sua decorare voluerunt, multò vos aliquando iucundiùs dicentes & agentes, hac tantâ grauitate & auctoritate cohonestent.

P E T R I I O A N N I S
P E R P I N I A N I,

De retinenda veteri religione, & falsa recentium hereticorum doctrina reiicienda, ad Lugdunenses.

O R A

ORATIO XII.

QUONIAM precatus aliquando sum à
 Deo parente salutis nostræ : quod
 optauerunt omnes boui tum cum
 impietas armata per hasce religio-
 nes paruagata est, ut illa pax à Christianis-
 si no rege facta cum obsessis, ad salutem po-
 tius antiquissimi si delissimi que regni, quam
 ad perniciem valeret, id nobis primùm diui-
 no beneficio, deinde consilio bonorum vir-
 tute tributum ac donatum esse, maximè le-
 tor, Lugduenses. Nam cum antea Deo no-
 bis propter peccata nostra vehementiùs ira-
 to, nemo domi suæ tutus esset; furor verò
 quidam & audacia, passim impunè volitaret
 & omnibus omnia minitaretur : nunc illo
 metu liberati, non intra parietes domesti-
 cos, non intra moenia solùm; sed in agris e-
 tiã tanto fruimur otio, quantum nescio an
 quisquam vestrum, tam breui tempore se
 esse consecuturum sperauit. Nolo renou-
 re memoriam illius tristissimi luctuosissi-
 mi que temporis : nolo quæ vobis perpe-
 su aspera & graua fuerunt, ea duriora
 & molestiora facere commemorando vos
 ipsi me tacente recordamini, quas res aua-
 ritia in rapinis, libido in flagitiis, in violan-

dis religionibus impietas, crudelitas in ciuium cadibus, & direptionibus urbium, in rectorum incendiis, in vastationibus agrorum efficere potuerit, eas res omnes vos proximis annis sustinuisse: quæ profectò mala dictu graua, perpeſſu difficilia, cum nostros, qui longè aberamus, & ea serò, neque integrè audiebamus, animos vehemētius commouerent, existimare possumus, qualia vobis visa sint, qui ea præſentes non vidistis modò, quod ipsum per se ad acerbitatem doloris erat satis, verùm sensistis etiam & pertulistis. At nunc quamcunque & circumspexerimus Reipubl. vestræ partem, omnia multo meliora reperiemus. Recreantur in dies magis & confirmantur animi bonorum: pietas erga Deum, quæ illius turbulentissimi temporis procella penitus obruta esse videbatur, speciosior, & constantior ex illis fluctibus emergit: coalescunt mutuâ concordiam mentes omnium: nullus armorum strepitus, nulla cædes nullum improborum facinus auditur: ipsa incenia & tecta vobis è tot calamitatis emerſa, quodam modo latantur & gestunt, vt etiamſi Deus ob delicta nostra pœnas ab hoc populo graues & acerbis expetierit, tamen placatus iam atque mitigatus malis, hanc tandem respexisse urbem, seque

seque ad clementiam & benignitatē reuocasse videatur, quibus ex bonis omnibus insperatis atque diuinis, etsi maxima ad vos, Lugdunenses, quorū ea sunt propria, peruenire debuit non minor tamē ad me qui vobis optime cupio, quā ad vos ipsos lætitia peruenit. Ortus enim atque sermo peregrinū me fecit, religio & beneuolentia, quā erga omnes homines habere debeo, vestrū ciuem facit, fratremque germanū, vt vestris commodis non minus homo longinquus alienigenaque gaudeā; quā si his eisdem in sedibus uatus, educatus, institutus essem, Quæ cum ita sint, vos, Lugdunenses, tanti beneficij memores quantū accepistis, Deo Opt. Max. dum vixeritis, gratias ingentes agere par est, & nouam istam recentemque disciplinam (tametsi quomodo ista disciplina, quæ fatuos & sceleratos reddit quorum in animos semel intrauit?) sed tamen recentem istam pestem, quæ tot iam hominum mentes peruasit ne vobis aliquando nocere possit, vos fugere par est, omnique animo ac voluntate repudiare. Sentio equidem aut omnes, aut plerōsque vestrū non immemores illius religionis, quam memoriæ traditum est, olim in hac vrbe fuisse versatam egregiē animatos & paratos esse, neque meam adhortationem magno opere

426 *De retinenda veteri religione,*
desiderari. Quoniam tamen hoc mihi ne-
gorij datum est, vt aliud publicè de diuinis
literis exponam ad falsitatem coarguendam,
& nonnulla pars huius belli spiritualis, quod
cū impietate geritur curæ industriæq; meæ
videtur esse commissa, officio meo nõ de-
ro Lugdunenses, & vt imperatores boni acie
instructâ, licet ardentes videant militum
animos, tamen eos adhortantur, sic ego vos
promptos arque alacres ad retinendam ve-
terem religionē ad reiiciendam falsam re-
centium hæreticorum doctrinam, cohorta-
bor. Non enim est, non est grauitatis con-
stantiæque vestræ; Lugdunenses, negligere
tot seculorum spatio cõprobatam discipli-
nã, amplecti eam, quæ nostrã memoriã ne-
scio vnde repente exorta est; non est huius
ciuitatis, cuius excellens quondam existit
fidei religionis, fortitudinisque gloria, dese-
rere à maioribus, ab Apostolis, ab ipso Chri-
sto accepta mysteria; noua quædam & apud
fideles inaudita nescio quorũdã nullã aucto-
ritate hominum commenta sectari, quæ ne-
que vllò miraculo martyriõve confirman-
tur, & ex omnibus terris, vbi studiũ pietatis
viger, & exhibentur & exploduntur. Quis
non intelligit in quæstione præsertim de
commutãda religione vetustati plurimum
tribuendum esse? nostri certè scriptores &
Græci,

Græci, & Latini, quoties aliqua existit huiusmodi de rebus contentio ad inueniendam veritatem quærere solent, quid iam inde usque à Christo & Apostolis traditum nobis fuit patria disciplina. Videiicet existimabant, quorum usque ad Christum & apostolos, superiora repetendo, nullam originem reperiremus, ea rata & fixa esse oportere; noua verò paucorum hominum decreta illis aduersa esse inducenda. Itaque Eusebius Cæsariensis errorem illum impium Artemonis, & Theodori Coriarij, qui hominem tantum fuisse Christum affirmabant hac vna ratione confutat: docent enim scriptores omnes, qui proximi apostolis fuissent, Christum & hominem & Deum esse confiteri. Ex quo necessario effici putat, illam sententiam ab ipsis apostolis fuisse profectam, & ab Ecclesia constanter esse retinendam. Augustinus autem, quem vnus vulpes illa Genensis deprauandum suscepit, quam est in hoc genere frequens; quantum tribuit huic vni rationi; probandum erat, baptisma puerorum infantium inutile non esse, nec inane, quauis nec animo credere ad iustitiam, nec ore confiteri queant ad salutem; non aliunde argumentum à se firmius putauit posse depromi. Ostendit possum hoc esse in more & instituto Ecclesie vniuersæ, neque

Con

in epistol.
118. ad la-
nuarium.

1. Cor. 11.

Concilij alicuius decreto primum inductum, sed omnibus ætatibus, etiam ante Concilia œcumenica factitatum, nullum ut tempus aliquando fuerit quo tempore pueri ad nouum & diuinum ortum sacro fonte non abluerentur. Hoc autem probato, consequens illud esse verè arbitratur, pueros nihil adhuc intelligentes lauacro nouæ generationis expiandi, non alios auctores, quàm Apostolos extitisse. Quæsitum ex eo fuerat de tempore, atque ordine mysteriorum die Iouis hebdomadæ maioris mane an vespere, à ieiuniis, an à cœnatis ea peragi ac participari oporteret; non aliud, probandi genus adhibendum esse duxit. Licet Christus à cœna discipulis dedisset mysteria corporis & sanguinis sui, tamen eorum magnitudini, & religioni magis consentaneum visum esse demonstrauit ut cælestis ille panis ante vulgarem corporis cibum ore caperetur, ex eoque principio ieiunij consuetudinem ante mysteriorum perceptionem introductam esse: quam consuetudinem cum vbicumque terrarum sine vlla varietate seruet Ecclesia, colligit ab Apostolis ortam esse, ac præcipuè à Paulo. nã dum posteaquam Corinthios obiurgasset quòd suis mēsis Eucharistiam miscerēt nec singulari veneratione, separarent à cæteris cibis, eosque monuisset, ut conuenientes ad
 Domini

Domini, coenam alij alios expectarēt, si quis esuriet, tamque molli esset animo, vt appetentiæ tibi temperare tantisper non posset, dum alij conuenirent, is domi suę potius famem exleret, subiecisse cetera se, vbi ad eos venisset, presentem esse ordinaturum. Quare vir sanctissimus institutum hoc Ecclesiæ ipsi Apostolis æquale ad Spiritum sanctum auctorem referre nō dubitat: quod mihi meritò ac iurè facere videtur: quid enim speremus accepisse nos à Spiritu sancto, si neque ab ipsis religionis nostræ principibus tradita Ecclesia vniuersa omnibus seculis obseruauit, ea non à Spiritu sancto profecta esse credamus? Exempla sunt alia perimulta, sed ne sim longior, quàm vos vultis, his paucis de multis ero contentus. Ac de singulis quidem partibus disciplinæ nostræ disputare, & vnaquamque rem à Christo & Apostolis ad nos vsque deriuatam esse demonstrare, non est tam angusti temporis Lugdunenses; non huius institutæ orationis, quæ ne sit molesta vobis, multa mihi necessariò prætermittenda sunt. Quocirca disputationem hanc totam ad scholas eas, quas sum habiturus integram mihi reserua- bo: nunc hoc dico quod breuissimè dici potest, nullam esse religionis nostræ partem quam doctissimi viri non ostēderunt, à Chri-
sto

& Apostolis manasse: in quo tam graui-
ter conuincuntur isti, qui dissentiant à nobis; tam
turpibus & tam manifestis in erroribus te-
nentur, me ipsum vt aliquando pudeat, tam
turpiter labi, qui se palam profiteantur
esse doctrinae, religionisque veteris corre-
ctores. Eorum autem, quae illi docent anti-
quitas tanta est, vt ego sim propemodum
aequalis, qui ad quadragesimum annum non
perueni. Quod enim apostolorum scripta
nobis obiiciunt, vt semper omnes haeretici
fecerunt, & eorum quasi testimoniis con-
turbata confirmare, id magis decla-
rat; quam longè commenta istorum ab il-
lorum temporum vetustate distent, siquidē
eosdem sanctarum literarum locos aliter
illi nimirum aptè ad suam impietatem, ac-
cipiunt, nos aliter, accommodatè videlicet
ad nostram religionem, interpretamur.
Sed nos explanationis nostrae duces ac prin-
cipales habemus priscos illos diuinorum libro-
rum interpretes, quorum summa est & propter
vitae sanctitatem, & propter facultatem, in-
genij, & propter doctrinae abundantiam a-
pud omnes auctoritas illi ne vnum quidem
suae interpretationis testem ex omni veru-
state producunt, quo circa non possumus ve-
terem illorum existimare esse doctrinam, quā
nō scripta vetera, sed veterum scriptorum re-
cens

cens, & in omni memoria inaudita explicatio pepererit contra grauissimorum explanatorum auctoritatem. Pro Deus immortalis! quænam hæc est quorundam hominum tanta peruersitas? aut quæ mentis infirmitas? ut aut in media luce offendant & incurrant, aut prudentes, scientes, videntesque ruant ad interitum voluntarium? nondum anni quinquaginta sunt, cum illa Germaniæ furia bellum impium Ecclesiæ atque nefarium induxit: illius veluti partus omnes illi sunt, de quibus audistis: ab illo quasi parente profeminatæ sunt omnes familiæ dissidentium, & inter se pugnantium hæreticorum. neque verò ignoro, multa ipsos à veteribus hæreticis, magistris scilicet optimis accepisse, verum illi ipsi primi errorum magistri sunt recentes, neque suum ortum ad Christum, & Apostolos perpetuâ successionem referre possunt, cum sint ipsi primi suarum opinionum auctores. Ex quo perspicitur, quam antiqua sit istorum disciplina, cum illa vnde sumpserunt, reperitur noua, ut erunt qui tot seculorum memoriæ paulò amplius XL. annos anteponant? reperientur qui pro nouis commentitiisque rebus pugnent contra omnem vetustatem? existent, qui vini veteris austeram suauitatem, & solidam fastidiosè respuant? dulce
nel

nescio qua, vel decoctam ament & admireretur? Aristoteles quidem ubi legum correctio parum utilitatis, consuetudo facile dissolventi leges ex correctione nata detrimenti multum allatura videatur, ferri manu tam quaedam legumlator & magistratum peccata quam ciues assuescere magistratibus non parere; nos maxime salutaria Ecclesiae veteris instituta novae factionis perniciosis inventis depravari patiemur? ut magno reipublicae Christianae malo nullo bono, eorum, qui praesunt, obedientia funditus abiiciatur; Hospes Atheniensis apud Platonem summum affirmat esse malum, in ciuitate reprehendi ac vituperari vetustatem, & hanc quidem in contempionem venire, magno autem in honore & pretio esse nouitatem: nos institutis rebus optimis, ac coelestis philosophiae praecipis abundantes antiquis praeremus noua? ille puerilibus in ludis permagnum putat momentum esse positum ad firmitatem legum: nos ratione religionis, quae totam continet humanae vitae disciplinam, negligemus? si ludi sic instituantur, ut iisdem pueri semper delectentur, futurum credit, ut quae magna cura sanctae sunt leges, perpetuo fixae maneant, si vero nulla sit in illis constantia, si noua crebro genera excogitentur, si varia saepe

Libr. de
leg.

com

commutentur, si nunquam eadem grata
 pueri appellent, & in vestimentis in colori-
 bus, in reliquo cultu corporis, denique in
 omni instructu & ornatu alias aliis in rebus
 decorum & indecorum ponant: si qui sem-
 per aliquid noui pariat his in rebus, & in-
 ducat aliud, quam in communi consuetu-
 ne positum sit, eum præcipuè admirentur, &
 colant, nullam capitaliorem dicit esse pe-
 stem ciuitati vniuersæ: nos incolumen ac
 saluam existimamus illam posse esse rem-
 publicam in qua singulis diebus horis mo-
 mentis, singulæ nouæ diuinis de rebus opi-
 niones, religiones, cæremoniæ existant? in
 qua vetera frequenter nouis, tanquam te-
 stamenta codicillis, absque fidei commisso
 permutantur? ille quotidianis ludorum
 commutationibus conuerti sentit occultè
 puerorum mores, neque fieri posse, ait,
 quin alii viri euadant, aliam vitam, alia stu-
 dia, alias leges quærant, qui ludicris in exer-
 citationibus assiduè moliantur noua: nos
 illos quiescere posse arbitrabimur, rebusque
 præsentibus viuere contentos, qui ne re-
 ligionis quidém alicuius iniquitati hono-
 rem vllum tribuendum putent? ille ratio-
 nem aliquam ineundam monet, qua ci-
 uitas illud consequatur bonum, vt qui-

E.E

bus in legibus educati sint ciues, eas venerentur, ac vehementer timeant peruertere præsentem reipub. statum nos leuiculos quosdam clamatores, cupidos nouarum rerum, maximis de rebus audiemus? ille statui ac definirivult legibus, quæ cana carmina, quas salutationes adhiberi conueniat ad sacrificia deorum: si quis autem hymnos, aut choreas nouas induxerit, eum à sacerdotibus, & custodibus legum sanctè ac legitimè coerceri, ac si quidem paruerit inuitus, sacrum, esse. quiuis vt ab eo repetere possit impietatis pœnas: nos nescio cui terræ filio, remigi, aut baiulo ducemus liberum esse oportere, vetustissimas religiones tollere, inferre nouas? si quis puer imperitus rerum viam sibi non satis notam ingressus, in trisium incideret imprudēs, auderet passum vnum procedere, priusquàm certò sciret, quænam eò via duceret, quò vellent ipse peruenire? ac si neminem haberet. vnde percontaretur, non consisteret cogitatione tacita defixus? non circumspiceret, si quæ forte vsquam videret? non exclamaret, si quis alicunde voci responderet? non ad proximas casas, vel tabernacula pastorum accederet, si quem, à quo doceretur, inueniret? nos autem, viri sapientes, hac ætate, hoc vsu satis officio nostro facere videmur, si quod sartor
aliquis

aliquis, aut lanius, aut coquus obrutus immoderato pastu atque potu, somniaric, aut quod veterator callidus, confecto corpore, perturbata mēte atra bili domināte, improbè fuerit de religione cōmentus, persequamur? Vos, Lugdunēses, quid vobis, quid nobilitate vestræ ciuitatis dignum sit quid maiorum vestrorum hominum sanctissimorum exempla postulent diligenter cum animis vestris considerate. vt facitis, & existimate eam vnā sequēdam esse religionem atque disciplinam, quæ à Christo doctore omnium gentium & ab apostolis eius ministris per omnes Ecclesiæ principes ad nos peruenit. Ista doctrina paucis abhinc annis inuenta mihi credite, veritatem non ferret, acescet & euanciscet breuius Ariatorum, Sabellianorum, Enoimianorum, & aliorum nouas opiniones videmus profus euanuisse. Potest illa quidem instar musti Noëm ebrium facere, grauique somno oppressum nudum abincere ad terram, mētem exhilarare verè, & corroborare nullo pacto potest. Satis multa pro tempore de antiquitate, restat vt de hominum auctoritate dicam. Quanquam si summa esset hominum auctoritas, vbi noui quid afferret, Ecclesiæ vniuersæ decretis contrariam, nulla eorum esset habenda ratio. Sed videamus

tamen, quæ sit istorum, qui vetera Ecclesiæ instituta conuellere aggressi sunt, dignitas, grauitas, auctoritas. Cerno quàm scopuloso & periculoso in loco versetur oratio mea vos ipsos consulo, Lugdunenses, quid mihi faciendum putetis, de vta & moribus istorum verba multa faciam? eorum probra, quæ vel audiui, vel legi proferam in lucem? maledici conuiciatoris officio potius functus videbor, quàm modesti, & Christiani hortatoris? tantis igitur de rebus penitus tacebo? modestiæ fortasse laudem non amittam, sed causam ne perdam timendum est. quibus enim nullum fuerit probum obiectum, quorum nulla commemorata macula, magna illi apud omnes fide & auctoritate videbuntur esse debere. quid ergo est, quod fieri possit? quid hoc vnum opinor. totum illud orationis genus, quod maledictionis magis videtur esse, quàm abhortationis, relinquamus, & in scopulum illum potius incurramus vt causam videamur amisisse quàm linguæ procacitas, aliena educatione liberali, ac pudore nostro; & eo instituto vitæ, quod secuti sumus, iure accusentur. Atque hic attendite quæso, Lugdunenses, quam nos dissimili pro veritate, atque isti pro falsitate, ratione pugnemus. Nā ne isti eorum quidem dignitatem parcunt, quibus

bus obtemperare debuerunt : & cum inhonestè fortè nonnunquam iacentē patrem à filiis quodam silentij quasi pallio tegi , ne ab aliis cerneretur , æquum esset , irridere ipsi & aliis demonstrare malunt impudenter : multasque adeò fabulas , ubi vera desunt , callidè confingunt , deludēdi causa , & contra Ecclesiastici præceptum , ignominiiis Cap. 2. eorum , quos habere iubemus omnes in parentum loco , intolerantissimè exsultant , ut mirandum non sit , hoc qui faciunt , eos ad tantam animi cæcitatem deuenisse. Etenim si lumen eius , qui maledicit patri & matri , ut Salomon scriptum reliquit , in mediis tenebris extinguetur : quem errorem , Prou. 20. quas illis tenebras fore arbitramur , qui omnibus eos probris , maledictisque vexant , quos apud nos Deus obtinere voluit locū , vim & auctoritatem suā nos autē habemus loci , & temporis , habemus personarum dignitatis rationem , neque tam quid aliis obici possit , quàm quid à nobis dici , à vobis audiri conueniat , cogitamus : omnia , quæ commemorare ex hoc genere licebat , missa faciam & silebo : nullum isti ex me verbum audient , quo se queri possint fuisse læsos. Eam aduersus patrem dicēdi moderationem adhibebo , quam ipsi nunquam erga superiores adhibuerint. Sunt aliæ multæ

graues, ac firmæ rationes, quibus verè, sine
 cuiusquam contumelia, quàm leuis, quàm
 nulla sit istorum auctoritas, demonstraretur:
 quæso, diligenter audite. Omnis populi do-
 cendi & instituendi auctoritas, vt B. Pau-
 lus ostendit, missione continetur: *Quomodo,*
 Rom. 10 *inquit, predicabunt, nisi mittantur?* constat
 autem à multis prædicatum esse Christum,
 Act. 15. qui missi non fuissent, vt ab illis, qui An-
 tiochenorem animos conturbarunt: quid
 ergo Paulus negat prædicari posse Chri-
 stum, nisi mittantur à quibus prædicetur?
 nimirum sentiebat ille, à nemine legitime
 tradi cœlestem Christi disciplinam, nisi cui
 aliqua pars huius muneris fuerit conces-
 sa; neque auctoritatem vllam in eo docto-
 re residere, qui non sit missus ad docendum.
 Verùm beatus Hieronymus, eximiâ sancti-
 tate & doctrina vir, quatuor statuit Apo-
 stolorum esse genera, hoc est, eorum qui
 In initio cõ-
 men. epist.
 ad Galat. mittuntur. Primum genus est planè diu-
 num, eorum, quod nõ homines neque Deus
 per homines mittit, sed occultò quodam
 afflatu & instinctu solus Deus impellit. Al-
 terum superiori dignitate proximum est
 eorum quibus Deus quidem, vnde hæc em-
 nis potestas & auctoritas ducta est, sed per
 homines defert populi erudiendi munus.
 Tertium quod à priorũ grauitate & splen-
 dore

dore longè abest, eorum est, quos nõ Deus, sed homines mittunt. Quartum execrãdum & detestabile genus eos complectitur, qui nec à Deo, nec ab hominibus, se à se ipsis mittuntur, hoc est, qui prædicandi Christi munus, cùm ei à nemine præpositi fuerint, temere vsurpant. Qui primis tribus generibus continentur, ij propriè ac verè dicuntur mitti: quarto verò in genere qui numerantur, non illi quidem mitti, sed vltro impudèter accurrere: non aduocari, sed inferre se atque intrudere; non accedere, sed irrumperè dicendi sunt. Itaque in illis primis potestas est & auctoritas; in his, quoniam missi non sunt, quamuis se missos esse simulent, nihil est præter audaciam proiectam, & nefarium scelus. Veteres illos vates, Ioannem Baptistam, duodecim Apostolos, & extra Galat. i. numerum duodecim, B. Paulum, qui se non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum Apostolum esse factum, aliquando necessariò gloriatus est, ego in primo genere repono. Iudam, & Silam ab Apostolis legatos Antiochiam cum publicis primi Concilij mandatis: Timotheum, & Titum, denique omnes ab apostolis, & eorum successoribus præpositos Ecclesiis, ad iecundum genus arbitror pertinere, nisi fortè Judas ille fuit Iacobi frater; quem scimus in

duodecim Apostolorum numero fuisse. Quicumque vero studiis hominum sacerdotia consequuntur, eos tertium ad genus referendos puto: quibus tamen auctoritas non deest & quidem diuina, modo legitime fuerint ordinati: sed ab hominibus, non à Deo dicuntur mitti, quia non id spectant, ut à Deo vocentur tanquam Aaron, verum humano favore abutentes, honorem sibi ipsi assumunt. Postremo omnes falsos vates, quos non miserat Deus, ipsi tamen alacriter currebant, quibus nihil loquebatur, nisi significabat Deus, ipsi vero vaticinabantur: omnes falsos Apostolos, operarios subdolos, transfigurantes se in Apostolos Christi, ut cum sint Satanæ ministri, speciem quandam adumbratam ministrorum iustitiæ præ se ferant, quarto genere comprehendendo. Hæc cum sint quatuor genera eorum qui mittuntur; neque plura ne cogitatione quidem fingi possint, videamus isti noui Christiani populi magistri (etsi magistros appellare non debui, quorum est erroribus referta doctrina) veruntamen isti, qui se missos esse iactant ad excitandum Euangelium iam sepultum, videamus quo in numero sint habendi. Sic enim leuitas eorum facillime perspicietur. Non defuit ex isto grege, qui se alterum Eliam, & currum Israël esse præ

Hebr. 3.

Ierem. 23.

2. Cor. 11.

prædicaret. Quare non ab hominibus fortasse, neque per homines, sed ab ipso Deo & liberatore nostro Iesu Christo hanc sibi traditam esse potestatem credere nos volunt; & tanquam è cælo delectos ad Ecclesiam in libertatem vindicandam, B. Paulo, & omnibus Apostolis pares, nihil facere se, nihil loqui, nisi diuini spiritus afflatu & impulsu. Magna sanè res, excellēs dignitas, grauis auctoritas & singularis. Sed tamē ubi nam iste latet cælestis instinctus & impulsus? prorsus (inquiunt) inclusus est in pectoribus ac mentibus nostris, neq; res est eiusmodi, vt sub adspēctum oculorū cadat probè: sed ego sic accepi, quoscunque Deus aliquando miserit, eos afflatus diuini multa & magna signa, quæ & dubitantibus, & verò etiam negantibus fidem facerent, præ se tulisse, multasque res mirabiles & nouas, vel vno verbo perfecisse; vt Moysen, cæterosque vates, vt Petrum, vt Paulam, vt alios Apostolos, qui earum rerum, quas patrabant, admiratione omnium in se oculos & animos conuerterunt: quænam igitur isti habent argumenta diuinæ missionis? qui docere possint, si quis fortè neger, cælesti se spiritu afflari; cui agro valetudinem, surdo auditum, adspēctum cæco, muto vocem, ingressum claudo restituerunt? quæ mortuum

ad vitam reuocarunt? nam iactare diuini spiritus instinctum, eius autem instinctus iudicium nullum posse proferre, vel stultitiæ, vel amentitiæ mihi videtur esse. Atqui ne nostri quidem miraculis confirmant doctrinam suam quid tum? quasi verò nostri sint tam arrogantes, vt non ab hominibus, sed ab ipso Deo se missos esse glorientur: qui cum à successoribus Christi & apostolorum præferti sint Ecclesiis instituendis & regendis, iure optimo sperant, ad officium suum obeundum sibi spiritum diuinum affuturum. Tamen nostri antiquissimam sequuntur disciplinam, ad nos à Christo, & ab apostolis vsque propagatam: quam cum illi, & quos ipsi Ecclesiis præposuerunt, tam multis rebus mirabiliter diuina vi perpetratis confirmarint, necesse nunc non est, eam hoc genere denuo comprobari. Istis, istis, qui præscorum patrum doctrinam omnibus ætatibus retentam & conseruatam, funditus delere student, noua quæ afferunt somnia factis mirabilibus atque diuinis confirmanda erant, vt nos eorum non sermonem, sed virtutem, hoc est, vim & potestatem res admirabiles patrandi, cognosceremus, non enim in sermone est regnum Dei, vt B. Paulus ait, sed in virtute.

I. Cor. 4. Verum esto: diuinæ missionis vlla huiusmodi

modi argumenta nequeunt afferre, qualia de veteribus Prophetis, qualia de apostolis permulta legimus. At alias coniecturas habent, sanè bonas atque firmas, quibus, nisi sumus obstinatis animis atque voluntate, fidem habere debemus. Adeste animis, Lugdunenses, & attentis auribus accipite quæ dicam, nec ea vobis excidere aliquando patiamini. Nam mihi quædam infirma illa quidem sed ad speciem præclara defensio istorum ostenditur: quæ ne nobis obsit, vehementer cauendum est: noni locum, scio ubi exultare & triumphare soleat istorum oratio; quàm multi in Italia, Germania, Gallia, Hispania, pro disciplina sua alacres ad mortem adierint, commemorabunt. exaggerabunt verbis acerbitatem & crudelitatem suppliciorum eorum, qui cruciabantur; patientiam, magnitudinem animi, alacritatem ornando subiicient penè sub oculos & aspectum. In tanta verò tot populorum & principum sæuitia; in tanta quasi tyrannide religionis intra quinquaginta annos tam longè latèque sparsam ac disseminatam fuisse prædicabunt hanc fidem suam, ut iam omnes ferè terrarum oras occuparit: tum ad extremum gestientes victoria sciscitabuntur à vobis, an hæc cœlestis afflatus satis certa signa putemus? tum etiam
pro

pro suo iure contendent, vt religionem tot
 martyrum morte confirmatam, orbis terræ
 iudicio probatam, nostris quoque senten-
 tiis combrohemus. Negare non possum,
 Lugdunenses, magnifica mihi primâ specie
 & splendida hæc esse videtur oratio ad om-
 nes meos impetus, veluti murus quidam
 martyrum nomen, & plurimarum gentium
 consensus opponitur. Sic doctrina nostra
 noua: sit recens, sit nuper à nobis excogi-
 tata & inuenta, careat miraculorum fide: at
 multorum non vocis, sed sanguinis est te-
 stimonio confirmata, & paucis annis, mul-
 tis ciuitatibus, principibus, regibus vehe-
 menter aduersantibus, dissipata prope per
 omnes terras. Non agam summo iure cum
 istis. non dicam id quod si dicerem, omnes
 mihi se cœdendi oportere faterentur: etiam si
 martyrio multorum disciplina ista nitere-
 tur, quod fieri nequaquam potest; sed si nite-
 retur, fidem tamen ei nullam adiungendam
 esse, quæ veterum patrum sententiis, quæ
 conciliorum decretis, quæ Christi & Apo-
 stolorum doctrinæ omnino repugnet: non
 proferam memorabilem illam beati Pauli
 sententiam, quæ omnium hæreticorū caus-
 sam vno ictu iugulat, *Licet nos aut Angelus
 de cœlo euangelizet vobis præterquã quod euan-
 gelizabimus vobis anathema sit. Sicut prædixi-*
 mus,

Galat. 1.

mus, & nunc iterum dico. Si quis vobis euangelizauerit prater id quod accepistis, anathema sit. Sic agam, vt istos velle sentio: quid dicunt? quid vociferantur? an martyrum quamplurimorum cruciatu atque morte suum Euangelium fuisse fundatum? audio verumtamen, quorum? quando? apud quos? ego enim ita mihi videar ex antiquissimorum & opprimorum scriptorum monumentis didicisse, non suppliciorum genere martyrem fieri, sed conditione causæ: non si quis extremos corporis cruciatus mortemq; subeat voluntariam, sed si quis hæc vltro pro vera religione & fide Catholica sustineat, ei vni tam illustre martyris nomen esse tribuendum. Vt enim eum, qui probabili aliqua ratione periculum adit, vt pro incolumitate patriæ, pro salute communi, fortem appellamus: qui verò temerè, ac nullâ ratione sese offert in medium periculum atque discrimen hunc licet idem, atque ille faciat, indignum fortitudinis laude ducimus; inconsideratum & audacem nominamus: non secus maiores nostri, singulari sapientia viri, qui sinceræ religionis integræque fidei causâ patiendo certans, mortem occubisset, hunc verum, hunc perfectum, hunc solum martyrem esse putauerunt: si verò quis, vt opiniones tuere-

tur

tur suas, vt fictas à se fabulas defenderet, ac persuaderet aliis contra veterum scriptorum Ecclesiæ vniuersæ Christi, & Apostolorum auctoritatem, ab iis, qui in potestate essent: iure damnatus, vltro mortem oppetisset etiamsi omnia tormenta sine voce gemituque superasset, nõ eum martyrem fortem & constantem, sed nocentem, reum audacem, superbum, contumacem nuncupandum esse rectè censuerunt. Vidi ego Valentia, quæ clarissima vrbs est in Hispania, pyratico myoparone capto, cum duo Mauri, quorum fuerat insignis crudelitas publicè lapidibus obruerentur viui, spretà facilioris conditione mortis, quæ proponebatur si Christianam religionem amplecterentur, tam alacres eos ad supplicium festinare intentis oculis in cœlum, Mahometem illum suum clara voce appellantes, sic in media etiam morte exultare eiusdem falsi Prophetæ nomen crebrò vsurpantes, vehementer vt omnes mirarentur, voluntatis obstinationem & pertinaciam posse tantum, vt speciem quamdam & imaginem veterum martyrum in omnibus impiis adumbraret: non dubito quin multa generis eiusdem acciderint vbique gentium: sed ego non omnia potui videre. Cogitent igitur secum isti, & videant quid velint. Nam

si om

si omnia pro quibus vitam vnquam multi
contempserint, pro veris & synceris ha-
benda esse contendunt; Mahometanorum
disciplinam, erroris fallaciaeque plenam,
pro qua non pauci vitam & spiritum sponte
profuderunt, integram & synceram esse co-
gentur profectò confiteri. Quae supplicia
suorum commemorare desinant, & amplifi-
care oratione, quae pro nobis sunt potius,
quam contra nos; & ostendant nō acumine
disputandi modò, verum puniendi etiam
seueritate nouum istud Euangelium vndiq;
repelli istud doceant, recentem istam siue
religionem, siue fraudem nullis falsis opi-
nionibus esse deprauatam, cum veterū scri-
ptis, cum Ecclesiae Catholicae moribus &
instituris, cum apostolorum Christique
doctrina congruere ex omni parte, hoc vbi
planum fecerint, tum illud eis tribuemus,
& dabimus, vt suos illos principes & socios
Euangelij modò primùm nascentis caussa
damnatos, cruciatos, necatos, editis etiam
libris in martyrum numerum adscribāt quam-
diu opiniones nobis suas probare nō queunt
similes illos iis de quibus dixi Mauris exi-
stimari putiantur, magistros erroris, corru-
ptae disciplinae testes, falsi Euangelij min-
istros. Venio ad alterum defensionis caput,
non enim tam latè patet ista pestis quam
ipsi

ipsi gloriantur. Primum in Germania, unde ortum est hoc malum, scimus principes esse nonnullos, de populo verò multos, qui constantissime retineant patriam & antiquam religionis disciplinam. In Gallia reflorescere videmus eam in dies magis. Evangelij verò noui paulatim exarescere doctrinam: vt non sine causa sperare possimus, futurum aliquando, & quidem breui, vt erroribus ope diuina sublatis omnes vnanimes vno ore honorificemus Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi, quod summi boni loco B. Paulus Romanis à Deo precabatur. In Italia sunt nonnulli fortasse prauis opinionibus imbuti; sed illi latent in tenebris abditi atque retrusi, & hominum lucem pertimescunt. Sunt enim liberæ ciuitates egregia pietate: sunt potentissimi principes incredibili studio veritatis retinendæ, qui vt Hydram immanem tot capitibus reuiuiscentem excindant summa ope contendunt. Hispaniæ nomen ipsum arbitror istos exhortescere. Etenim est illa tota prouinciã valde inimica nouitati, salutaribus institutis ita munita & septa, vt ad eam ista belua adspirare nullo modo possit. Nulla in religione illa ne leuissimam quidem suspensionem patitur nouarum rerum, nihil vquam generi, nihil clientelis, nihil opibus

Rom. 1 6.

condonandum esse duxit cuiuscunque fuerit
 vel minimus deprehensus error, qui perti-
 neat ad religionem immutandam eum sum-
 ma grauitate feueritateque coërcet. Traieci
 illa quidem paucos abhinc annos, in Lusi-
 tania cum essem, Oceanum Atlanticum, &
 partim in eam Americae regionem, quæ est
 in ditioe Lusitaniæ regis, partim vsque in
 Indiam cis Gangem nauigauit. sed ex India
 reuincta catenis in Lusitaniam, vnde oc-
 cultè conscenderat, publicè nauibus est re-
 portata: in America, vbi iam sibi lustrum cõ-
 munerat. Lusitani Prætoris annis, qui cum
 imperio tum oram illam maritimam obri-
 nebat, oppressa penitus & extincta est: tal-
 sò igitur isti iactant, disseminatum esse suum
 Euangelium per omnes terrarum oras: cum
 quibus in terris maximè viget, non tamen
 omnium mentes occuparit, & a plurimis,
 maximis, nobilissimisque prouinciis omni-
 bus viribus arceatur. S. magè, ne nimis duri
 videamur, tribuamus hoc istis, quod volūt.
 Peragrarit omnes terras, & maria, ista di-
 sciplina: in omnium gentium animis peni-
 tus infederit: vndique nostram. hoc est, ve-
 ram religionem, exturbarit: at non omnia,
 quæ latè funduntur, numeranda sunt in vo-
 nis? quàm latè proximis annis pestilentia
 peruasit, vtinam fecisset Deus Opt. Max.

ne vos, Lugdunenses, sentiretis. verū quot hominum millia, in Hispania, Gallia, Germania, Italia illius mali contagione deleta sunt? ergone luem illam salutarem nobis, & optabilem fuisse dicemus? ecquis inficiari audeat, Arianorum doctrinam venenatam & pestiferam exstitisse? atqui ab Austro exortus ille furor, cum Solis orientis partes, Aquilonisque complecter, vsque in vltimas occidentis Solis oras non longissimo spatio temporis peruenit: propè nullus vt sit angulus orbis terræ tam difunctus, tã reconditus, tam obscurus, vbi non fuerint Ariani perbacchari. Tace cætera, video ad extremum mihi festinandū esse. hoc vnum vos memoriã tenere volo, Lugdunenses, quod præclaram illam istorum defensionē funditus euertit, si qua doctrina breui spargatur & disseminetur per orbem omnium terrarum; non continuò probabilem & laudabilem illam ducendam esse, cum multæ sæpe graues ac perniciosæ pestes latissimè permanarint. Nam quod veram atque germanam diuinorum librorum explicationē quam superbè nimis nobis omninò detrahunt, sibi totam arrogat & assumunt, certissimum argumentum esse dicunt spiritus afflatusque diuini. hoc planè ridiculum est, Lugdunenses, quid in ab ipso Deo commissum

missum esse, spiritu diuino duci affirmas, ob eamque causam à te legitimè sacras literas exponi, tibi fidem ab omnibus haberi oportere? ego contra nullam tibi fidem tribuendam esse, libros diuinos à te deprauari contendendo: te à Deo missum esse, spiritu diuino regi pernego: eius rei certum aliquod argumentum signumque requiro & efflagito. tu nullum mihi profers nisi legitimam scriptorum diuinorum explanationem: & ad confirmandum id quod est in controuersia, sumis illud ipsum quod tibi probandum est, nullam isti, nullam omninò firmam coniecturam, nullum argumentum probabile, nullum, ne tenue quidem, habent vestigium illius, quam iactant diuinæ missionis afflatusque cœlestis. A verò nos quàm multa, quàm manifesta quàm certa proferre possumus indicia & signa quibus istos aliàs non à Deo missos, sed ab improbo dæmone immisos esse; non cœlesti spiritu afflari, sed suorum scelerum furiis agitari demonstramus? Ergo sic intelligo, Lugdunenses, quod possum ex literis diuinis facilè docere, cum aliquis existat, qui se Dei iussu tacito & instinctu accessisse dicat ad docendum, si cetera signa desint, vt istis ostendi deesse, exitum in primis spectari oportere. Stephano crudeliter à Iudæis interfecto, cum ceteri

quoque nostræ religionis homines ad vincula, ad supplicia, ad mortem raperentur. illi tempore cedentes, alij aliò diffugerunt. Ex eo numero nonnulli Antiochiam peruenerunt. tamen si nihil eis ab Apostolis fuerat

Astor. II. mandatum, Christum tamen etiam Græcis, hoc est, idololatriis, denūciare cœperunt. Ab errore, quamplurimos ad veritatem conuerterunt, cum diuinâ vi multa facerent, præter consuetudinem, supra omnium hominum facultatem. *Erat enim*, inquit Lucas, *manus Domini cum eis*: qui si nihil eiusmodi, fecissent, tamen ex iis, quæ post acciderunt, cognosci potuisset eos fuisse diuinitus impulsos ad multitudinem docendam. Nam statim ut ea res peruenit ad Apostolorum aures, Barnabam illi miserunt Antiochiam qui cognita munificentia diuina; hortabatur omnes, ut in suscepto consilio propostaque sententia permanerent. Ductus eodem est postea Paulus à Barnaba: eorum, & aliorum opera tanta multitudo breui ad fidem adducta est, ut illa in vrbe primum appellarentur discipuli Christiani: quam, obsecro clariora impulsus diuini argumenta desiderari possunt? probauit Ecclesia factum eorum, qui primi instituerant Antiochenos, Barnabas missus ab Apostolis cognoscendi & iuuandi causa, quæ illi tradiderant

Act. II.

derant confirmavit : eadem Paulus docuit. Dicam audacter fortasse, verumtamen, ut arbitror verè, Lugdunenses, si falsam aliquã corruptãque disciplinam populus Antiochenus didicisset, cum illa postea, quæ dixi, contigissent, iure optimo queri possent à Deo se fuisse circumuentos. Exorsi sunt non multò post alij, qui pari ratione. cum nullam ab Apostolis potestatem accepissent, populum eundem vltro docerēt, & circumcisionem in Ecclesiam introducere molerentur, illos non admonitu diuino suscepisse, sed effrenatã cupiditate inuasisse multitudinis instituendæ munus eadem ratione ac via perfici, posse credo. multorum enim animi conturbati sunt. opposuerunt se Paulus & Barnabas eorumque peruersæ doctrinæ vehementer prestiterunt : res ad Apostolorum concilium relata est. Illi sancti Spiritus instinctu, præfati nulla eos à se homines accepisse mandata, decreuerunt falsa & inania esse, quæ docuissent, neque qui ab idololatria venissent ad fidem, circumcidendos esse. Ferine vllò modo potest, ut occulto sancti Spiritus hortatu, & impulsu aggressi fuerint ad docendum, qui turbas tantas fecerint ? quorum doctrinam Barnabas, Paulus, vniuersum Apostolorum concilium tam apertè damnarit ? sic est, sic pror-

Acto. 15.

sus est Lugdunenses, vt prudens Poëta scri-
ptum reliquit, *Exitus actus probat*; neque res
vlla quale quidque sit, magis ostēdit, quā
quæ quidque cōsequuntur. Euangelij verò
noui, quod istis in ore frustra semper est,
qui fuerit exitus, quanquam non est obscu-
rum, tamen ego vobis indicabo paucis, vt
isti magnificè loqui desinant. è cœlo se esse
delapsos. Exstitit primus Martinus Luthe-
rus, exstiterunt alij postea permulti ab il-
lius disciplina, volūtate similes inter sese &
magistri, opinionibus multum dissentientes
ac discrepantes, hi sacra, cæremonias, ima-
gines Sanctorum, omnem antiquā religio-
nem euertere: noua quædam & ad id tem-
pus inaudita piis inducere in eorum locum,
contra veterum scriptorum, sanctissimorum
& doctissimorum hominum sententiae &
instituta sine scripto nobis à Christo, &
Apostolis tradita per manus, repudiare; Ec-
clesiæ generaliumq; Conciliorum, & Pon-
tificis Romani supremum iudicium aucto-
ritatēque despiciere, contra literas diuinas
non à se corruptas, verum ab antiquis in-
terpretibus, & ab Ecclesia rectè explicatas,
repugnare velle cœperunt. Multorum ho-
minum mentes doctrinæ nouitate permotæ
sunt. Complures integritate singulari & do-
ctrinâ viri, & Episcopi contradixere palam;

& scripto, voce, auctoritate vehementissime sunt aduersari. Delata res est ad Pontifices Romanos, quorum semper fuit, ut etiam nunc est, & posthac erit, summum in Ecclesia iudicium & auctoritas; factum improbarunt. disciplinam falsam perniciosamque esse statuerunt; liberæ ciuitates, principes, reges, nouas quæstiones, noua supplicia in eius erroris conuictos decreuerunt. Concilium œcumenicum conuocatum est, & in eum locum conuocatum, quo facile isti, modo uellent, adire possent. libera potestas eis disceptandi facta, publica fides data, cum per legatos essent perhumaniter inuitati; non adfuerunt, absentes condemnati, & anathematis pœnâ, quod more maiorum non nisi grauissimis in rebus fieri solet, affecti sunt. Et erit quisquam tam amens, tam à communi sensu alienus, qui diuinum illis afflatum attribuat, quorum & doctrina omnibus, in quibus est aliqua potestas Patribus antiquis, & Ecclesiæ vniuersæ contraria, tantas in iis, quascumque attigit, oris tragœdias excitarit? Coniectura valdè bona est, Lugdunenses, responderi verè nihil potest. obmutescendum istis penitus, vel ad solitas artes, mendacia dico, & fallacias, confugiendū est. Ad argumentum nihilominus firmū accipite. Deus idem semper est,

semper sui similis, semper unius modi, ut natura, sic voluntas & sententia diuina non mutatur neque sibi ipse aduersarius esse potest, secumque pugnare, quod cum ita sit, fieri nullo pacto potest, ut quorum diuersae sunt, ac inter se pugnantes opiniones & sententiae, ij omnes diuini spiritus instinctu loquantur: consentire sibi mutuo sensibus, & conspirare necesse est eos qui à Deo semper idem sentiēte doceri se, credere nos & existimare velint quàm autem isti sint inter se cōcordes, quàm opinionibus congruentes, ipsi ceratis, etiam si ego non dicā. Octauus, opinor, & quadragesimus annus est, cum Lutherus, istorum omnium parens, atque dux, publicè ac palàm ab Ecclesia vniuersa discessit. Eorum verò sectas qui ab illo orti, & à se mutuo & à magistro multis de rebus dissenserunt multò inter se magis, quàm nobis aduersas, amplius octoginta numerat, auctoribus, temporibus, & opinionibus notatis, qui his in rebus colligendis non nihil studij operæque posuerunt, ut subductis rationibus binæ propemodum in singulos annos cōtrariae disciplinae distribui possint. Altercantur quidem interdum etiā, & inter se nostri contēdunt. nō ego. verū eiusmodi de rebus contendunt, de quibus liberū cuique est opinari, quod velit. Quare quid cre-

dant,

dant explora eorum fidem, omnes idem dicēt, mirus omniū cōsensus reperietur. quod si quando accidit, vt etiam de fide quæstio aliqua existat: Pontificis M. vel generalis Cōcilij decreto & sentētiâ lis omnis & controuerfia terminatur. Istis autem & illis de rebus, quas oportet credi, vt nobiscum, sic etiam inter ipsos, est omne certamen, neque vllum habent cōmune caput, iudicio cuius in concordiam reducantur. Ex quo perspicuum est, neminem istorum impulsu diuino moueri, cum omnes, tam inter se de fide pugnātes clament se diuinitus haurire quæ dicant. Mitto quod verbum istud, vt ipsi vocant diuinum: vt ego sentio, commentitium, contemptum ordinum religiosorum parit: quod omnem obedientiam tollit, quæ principibus Ecclesiæ debetur; quod maledicendi licentiam immoderatam affert, & intempestiuam atque importunam loquacitatem, vt qui sectam istorum persequuntur, publicè, priuatim, in concionibus, in vicis, in plateis, in tabernis, in diuersoriis, in circulis, in cōuiujs omne acerbitatis suæ virus in eos effundant, quos obseruare & colere debuerunt, & in medijs etiam populis impia Euangelij noui mysteria impuris sermonibus eructent. Hæc, & alia prætereò, quæ si quis colligere velit, ac secum

ipse cogitare tacitus facilè adduceretur, vt credat iniuriam Deo facere, qui dicat, in istis hominibus quidquam spiritus diuini residere. Dictum est de primo genere eorum qui mittuntur; à quo recentes istos doctores longissimè abhorrere didicistis: alterum ad genus accedamus. Nam isti de primo illo depulsi quasi gradu, secundum fortasse capient, in eoque consistent, ac se à Deo quidem, verùm per homines accepisse respondebunt docendi potestatem: honesta sanè defensio. Illa enim extraordinaria planèque diuina ratio mittendi, neque nunc est necessaria, neque vsitata, hæc à Deo instituta est: hæc omnibus sæculis vsurpata est: hæc vsurpabitur omnibus ætatibus consequentibus ad gloriosum vsque aduentum Christi: hæc nos etiam tuemur eorum, qui nobis præsumunt auctoritatem. Itaque B. Paulus quamuis certò sciret, ab ipso Deo se fuisse ad erudiendas Gentes extra ordinem aduocatum multùmque ac diu, a postolis, & vniuersâ Ecclesiâ probante, fuisset in eo negotio versatus, tamen peragraturus orbem terræ, sibi manus imponi passus est, & humanam auctoritatem cum diuina cõiunxit: idemque post X V I I. annos quàm Christum deuinciare cœperat, vt ipse narrat, iterum admonitu diuino. Hierosolymam
conten

contendit, & cum Apostolorum principibus
 contulit doctrinam suam, ne fortè operam
 illam, & laborem tantum frustra consume-
 ret, aut ad illum diem ante consumpsisset.
 Tanti vir sanctissimus putabat esse facien-
 dam legitimam hominum potestatem. Sed
 illud quæro, quònam isti modo per homi-
 nes, opinentur aliis hominibus à Deo dari
 dicendi potestatem, an impositione ma-
 nuum eorum qui ipsi vel ab aliis, vel à solo
 Deo legitimam habeant potestatem? si ne-
 gant, nullo negotio conuincam, quid enim
 aliud significauit Paulus cum illa Timo-
 theo scripsit? *Noli negligere gratiam, quæ in te
 est, quæ data est tibi per prophetiam cum impo-
 sitione manuum presbyterii. Propter quam cau-
 sam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ
 est in te per impositionem manuum mearum.*
 audis presbyterium? audis manuum impo-
 sitionem, gratiam diuinam, quam Timo-
 theus acceperat ad mandatum, sibi munus
 probè fungendum, confirmat ei manuum
 suarum impositione, cum Episcopus ordi-
 naretur, fuisse concessam. Quapropter ubi
 manuum impositio legitima alicuius, qui
 legitimam ipse potestatem habeat, nulla
 est, ibi gratia, potestas, auctoritas per ho-
 mines à Deo cum hominibus communi-
 cata qui potest esse? Percontor nunc ab istis
 per

per quos homines dicant secum hanc auctoritatem esse communicatam? quis eis imposuerit manus? à quo fuerint ordinati? nostros, credo, Pontifices ne nominabunt, quippe, quippe quibus omnem dignitatem, atque potestatem adimere nitantur. Lutherum dicet aliquis, alius Philippum, alius Calvinum, alius alium nescio quem fortasse nominabit; illi verò ipsi quicumque fuit, quis imposuerat manus: quis tantam permiserat potestatem? ad primū aliquem necessariò deueniendum est, qui non fuerit Ecclesiæ magister à Deo per homines creatus, cum præsertim isti nostrorum ordinationem, quæ multis ipsorum non defuit, superbissimè adspernentur: ille certè cum ab ipso Deo sine cuiusquam impositione manuum potestatem nullam accepisset, ut supra ostendi, non id potuit cum aliis communicare: quo caruit. Vnde efficitur profectò; nullam in istis auctoritatem residere à Deo per homines tributam, quorum si ab ultimis regrediaris ad primos, nulla sit ordinationis, nullæ legitimæ manuum impositionis perpetua & cōtinuata successio. Ergo neque primum isti, neque secūdū gradū tueri possunt. pedem referant necesse est, sicuti fortè queant ita insistere, ut nullis viribus deturbentur. Non autem eos tam con-

tem

temnentēs esse credo dignitatis suæ vllam
vt sibi cum tertio genere societatem esse ve-
lint, quod totū esse diximus ambitione de-
prauatum, quod sit consequens, absque mea
oratione, quiuis vestram intelligit. Velint
nolint ad quartum illud deuoluūtur genus,
in quo nulla dignitas, nulla potestas est,
nulla nisi ficta & simulata auctoritas, con-
tra summa turpitudine & infamia. Nequeo
hoc sine magno animi dolore dicere, Lug-
dunenses, angor enim & crucior, viros non
expertes ingenij, neque doctrinæ eò dela-
psos esse, vt hæc in eos conueniat oratio.
Dicendum tamē est, maiórq; veritatis ratio,
ducenda quàm doloris, non isti verbi diuini
ministri sunt, non vindices Ecclesiæ, non E-
uangelij assertores, sed vnà cum mendacib.
Prophetis, vnà cum falsis Apostolis adnu-
merandi. Tales isti sūt qualis ille Sedechias
fuit qui Michææ in conspectu duorum re-
gum colaphum infregit: aut omnino qua-
les illi vates, qui Baali diuinos honores tri-
buebant; aut quales alij qui patriæ suæ ni-
hil euenturum mali testificantes, & omnia
secunda & opabilia falsò prædicentes, cum
Hierosolymitani ciues suos fefellissent,
Hieremiam vera prænunciantem in teter-
rimumj carcerem conicerant. Non maior
est istorum auctoritas, quàm fuit illo-
rum

rum, qui cū adumbratam Apostolorum personam induissēt, circumcisionem Antiochenis persuadere voluerunt? aut illorū qui Corinthios in errorē inducere conati sunt? aut illorum, qui Galatas ab Euangelij libertate ad Iudaicam seruitutem traduxerunt? aut denique illorum, qui Paulo toties insidias fecerunt, tot pericula intulerunt, tam graues & tam assiduas molestias exhibuerunt? Quamobrem vos iam statuite. Lugdunenses, (quamquam de vestra religione & grauitate non dubito, sed quia si res in in dubium aliquando vocaretur, quæ sunt à me tractata, fidem cuius facere deberent) vos iam statuite, Lugdunenses, vtra sit amplectenda & sequenda disciplina, quam à Christo Apostolisque traditam coluit omnis antiquitas, an quā malitia quorundam, & aduersus Pontifices Romanos odiū paucis abhinc annis excogitauit, quam modestè profitentur illi, qui Christo, & Apostolis v̄sitata, & legitima impositione manuum successerunt, an quam nolentibus etiam, & repugnantibus obrudunt isti qui se inculcant auribus nostris, & spiritu diuino falso gloriantur, neque per quos homines potestatem acceperint, docere possunt. Maiores vestri religiosissimi & grauissimi mortales ne hanc ipsam desererent, quam sequimur
omnes

omnes orthodoxi disciplinam, quas fortunatarum ruinas, quæ exilia, quæ vincula, quas ignominias, quos corporis cruciatus, quam horribiles & formidolosas neces non sustinuerunt? non etiam vltro depoposcerunt? plena est exemplorum vetustas, plenæ historiæ, pleni Græcorum & Latinorum libri, quæ in his quondam terris atque in hac vrbe fuerit religionis gloria, qui splendor, quæ retinenda à superioribus accepta pietate constantia: pueros, pueros fermè infantes, & mulieres imbecillis corporibus memoriæ proditum est pro religione patriæ, summis animis & incredibili contentione certasse: vos ab illa virtute, grauitate, firmitate animi degenerabitis, & tantam pietatis, tam veram solidamque laudem nobis à maioribus relictam, quadam leuitate mentis abiicietis? illos, vt scopulos fixos & stabiles, nulla tempestatas, nullus turbo potuit commouere: vos velut arudines, inanes ac mobiles, quavis aura rumoris in omnes partes rapiemini? & summo cum dedecore inconstantiaque nota, malè damnabitis quod rectè omnibus annis superioribus comprobastis? vos, vos appello duo ciuitatis huius principes, atque duces, quos præsentis intueor, quorum alter diuinis rebus, alter humanis præest atque

ciu

Matth. 23.

ciuilibus, uestram opem hæc respublica im-
plorat & efflagitat: in uobis magna ex par-
te situm est, quàm uitæ conditionem se-
quantur ciues. cura, labore, vigilantia, stu-
dio, diligentiaque uestra omnium salus con-
tinetur. Tu pater amplissimè sacrorum in
hac urbe custos, præses, propugnator, per-
ge, ut iam olim cœpisti, ueterem, solam-
que ueram religionem omni ratione defen-
dere ac tueri, & hoc collegium auctoritate
tua beneficio ciuitatis institutum atque fū-
datum, cuius tu patrociniū tam alacri ani-
mo sponte suscepisti, solito fauore comple-
cti ac fouere: quantam uim ad conseruan-
dam pietatem obtineat educatio institu-
tioque puerilis, tu minimè omnium igno-
ras: hic hic una cum literis, unā cum artibus
ingenuis, & bonis moribus, & salutaribus
disciplinæ ueteris institutis ac præceptis
iuuentus Lugdunensis; quātam erit in nobis
imbuetur; hæc erit arx, hoc propugnaculum
sinceræ fidei omnibus istis Euangelij recē-
tis importunis doctoribus oppositum & o-
biectum; si tu pater amplissime, studio & au-
toritate tua, ut facis, nostros conatus adiu-
uabis: Maximam expectationem tui nō hic
apud tuos modò, uerū etiam in Italia con-
citasti. Pius. IV. Pont. Max. in te spem sum-
mā habet collocatam, eam non ut sustineas

&

& tuearis tantum, quod satis quidē est aliis
tibi parum: sed vt vincas etiam tibi con-
tendendum est, quod cœlestibus auxiliis
facile spero consequeris. Tu verò, prætor
sapientissime, quem pacis bellique procura-
torem, administratorem, ducem hæc ciui-
tas nuper accepit, quam aliis ciuitatibus,
quibus difficillimis temporibus magna cum
laude præfuisi, præbuisi prudentiã, eandem
hoc tempore Lugdunensi reipublicæ, totam-
que diuturnis afflictæ malis impertire. Est
illa verè felix & beata, cui talis hoc tempo-
re custos & gubernator oblatus est, qua-
lem haud scio, an ausa fuisset optare. Vr-
bana iurisdictio, sciētiam legum requirebat?
habet, qui si omnium Iureconsultorum li-
bri intercidissent eius ipsum posset ab inte-
ritu vindicare: quæstiones criminum vim &
seueritatem desiderabant? nacta est, qui si
omnia iudicia corrupta essent, ea posset ad
pristinam grauitatem reuocare, pericula de-
nique intestini mali atque domestici aucto-
ritatem, & nonnullam armorum exercita-
tionem postulabant? tu diuino consilio da-
tus es regij consilij priuati princeps, cuius
virtus & industria & fides, domi militiæque
cognita, superioribus annis maximo diffi-
cillimoque bello multis ciuitaribus saluti
fuit, nulla in ea laus, qui ciuitatem hanc esse

gubernaturus, poterat optari, quæ non in te summa reperiatur. hanc felicitatem Lugdunensi reip, te prætor fore perpetuam speramus; & quam omnibus aliis in rebus fidem; domo, tuis, ciuitate, solo patrio relicto maiestatis reglæ præstitisti, eandem te in hoc etiam magistratu præstiturum: neque dubitamus, quin vt aliis in terris, vbi cum imperio versatus es, iucundam reliquisti memoriam nominis & integritatis tuæ, sic ab hac vrbe decedens, magnum tui sis desiderium relicturus, in omnium Lugdunensium animis infixum. Spem verò nostram tu Prætor sapientissime, iuuante Deo re, factisque superabis; & qui bonam ætatis tuæ partem in literis consumpsisti, in grauissimis muneris tui curis ac laboribus non nihil etiam huic gymnasio publico, nostræ fidei commisso & tradito putabis esse tribuendum loci. Non minus enim res ciuiles, quàm religio, quod tuam sapientiam, fugere non potest, ex iuuentutis institutione pendent. Vos denique Lugdunenses, gratias immorales agite principi & auctori salutis nostræ Deo, qui tales donarit præsides vestræ ciuitati: & quoniam intelligitis, quanti referat, à quib. liberi vestri erudiantur, gaudete habere vos in hoc nostro gymnasio magistros, quibus eos tutò committere possitis; ne corrumpat

tur à pa
tores ta
das en
bis pro
mestica
sension
copi op
te; pra
virtute
liis die
è tot
gis in
beralite
pace,
ante o
ad ex
gredie
filij no

—
P E

De ret

Q

tur à pædagogis illis, quos isti callidi venatores tanquã canes ad hominũ mêtes capiẽdas emittunt in omnes partes, diligenter vobis prouidẽdũ est. Hac priuata cura atq; domestica, quæ maxima ex parte vestra est, cõsensione bonorũ omniũ clarissimi Archiepiscopi optimi religiosissimique viri auctoritate; prætoris præstantis insigni sapientia & virtute; quodque omnib. reb. caput est, auxiliis diuinis atq; cœlestib. hæc vestra respub. è tot tamq; grauibus recreata malis, magis in dies ac magis efflorescet, & diuina liberalitate omnib. bonis cumulata, diuturna pace, otio tranquillitate perfruetur. Hæc ante omnia dicenda esse duxi, crastina die ad explicationem literarum sacrarum aggrediemur, cuius ex præfatione omnem cõsiliij nostri rationem cognoscetis.

PETRI IOANNIS
PERPINIANI.

*De retinenda veteri religione, & falsa recentium
hereticorum doctrina reiicienda,
ad Parisienses.*

ORATIO XII.

QUANTAM mihi venienti lætitiã
huius amplissimæ pulcherrimæque